

**www.e-rara.ch**

## **Loci communes rerum theologicarum, seu hypotyposes theologicae**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, anno 1521**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-117208>

De Pœnitentia

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

**PER PHILIP. MELANCH.**

Iohannē, & eos, qui à Iohāne loti sunt, interfuerit, nam utriq; expectarunt Christū, nisi q; hi propius Euāgeliū & remissionē peccatorū cognouerunt.

Hæc paucis attigisse satis sit, ne quem longiore tractatione à lectione scripturæ remoremur, ubi diligentius hoc genus quæstiones excutiendæ sunt.

**DE POENITENTIA.**

Pœnitentiam non esse signum, nihil obscurum est. Est enim pœnitentia, uetustatis nostræ mortificatio, & renouatio spiritus. Sacramentum eius, uel signum, non aliud nisi baptismus est. Atq; hic omnium rectissime uocetur sacramentū pœnitentiæ.

Siquidē pœnitentia mortificatio nostræ est, in uitā, seu ut renouemur: Id quod baptismo, ut ante dixi, significatur, Et testatur Paulus ad Roma. VI. Qui baptizati sumus in Christum Iesum, in mortē eius baptizati sumus &c. Et ad Titum, nuncupatur lauacrum regenerationis. Neq; aliud est uita Christiana, nisi hæc ipsa pœnitentia, hoc est, regeneratio nostræ. Mortificatio fit per legem ut supra dictum est, Nam hæc conscientiam terret & occidit. Viuificatio fit per Euāgelium, seu per absolutionem, Non enim aliud est Euāgelium, nisi ipsa absolutio. Qd' mortificationē nos uocamus, scholastici cōtrā

## HYPOTYPOSES THEOLOG.

tionem uoluerunt dici, id quod ita permitto, si nō de dolore, per liberum arbitrium, per uires humanas, simulato loquantur. Non potest enim odisse peccatum natura. Sed diuinum opus est, conscientiam nostram cōfundere & pauescere. Hiere. VI. Erubescere nescierunt. Et. xvij. Peccatū Iuda scriptum est stilo ferreo in ungue Adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorū. Et. xxxi. Postquam ostendisti mihi percussi femur meum. Et Christus de pharisæis Luce. xi. Nūc uos pharisæi, quod deforis est calicis & catini, mundatis, quod autem intus est uestrum, plenum est rapina & iniquitate. Sed hæc supra latius, cū de collatione legis & Euāgelij differeremus. Non aliud enim poenitentia est, nisi iustificatio. Interim moneo, ut tanquam pestem caueas scholastica figmenta de attritionibus & de dolore per liberum arbitrium simulato. Facile autem iudicabit cor tuum uere doleas, an simules dolorem. Sed nec dolore tuo fidas, quasi ideo condonetur peccatum q̄ doleat, sed potius, ut postea dicam, Absolutione & uerbo dei.

Fortassis autem permittes, poenitentia hoc est, mortificationis & uiuificationis signum baptismū esse, si perseueres. Quod autem lapsis signum est,

quod recipi eos in gratiā testetur? Nam ad lapsos tantum retulerunt poenitentiae uocabulum & sacramentū. Respondeo, Sicut Euangelium nō amissimus alicubi lapsi, ita nec Euangelij & βαπτισμα, baptismum. Certum est autem Euangelium non semel tantum, sed iterum atq; iterum remittere peccatū. Quare nō minus ad secundā condonationē, quā ad primam, baptismus pertinet. Est enim baptismus Euangelij, id est, remissionis peccatorum arrabo & pignus. Matt. xvij. Petrus interrogat, Quoties debeat remittere fratribus, Vbi dominus respondet, Septuagies septies condonandum esse. Et. I. Iohan. ij. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris etc. et. ij. Corint. ij. Paulus recipi iubet incestum. Est & apud Chrysostomum, & citatur ex Clemente Alexandrino Iohannis apostoli factum, qui iuuenem quendam desertorem ad poenitentiam reuocarit.

Et quia poenitentiam partiti sunt, in contritionem, confessionem & satisfactionem. Paucis referemus de his nostram sententiam. De contritione satis dictum est, quae si uera est, mortificatio uetustatis nostrae est, quam ita uocat scriptura. dolor one

## **HYPOTYPOSES THEOLOG.**

nino maior, quàm quē possit uel aestimare hominis ratio: Tantū abest ut sine opera spiritus sancti, libero arbitrio conteramur, seu mortificemur.

**C**onfessio alia est, qua corā deo agnoscimus peccatum, & condēnamus nos ipsos. Ea confessio non aliud nisi illa ipsa mortificatio & uera cōtritio est, de qua modo dicebam. Atq; huius sepe scriptura **monit.** **1. Iohan. 1.** Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus ut remittat nobis peccata nostra. Et **Dauid:** Quoniam iniquitatem meā ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis & uincas cum iudicaris. **Item:** Dixi confitebor aduersum me iustitiam meā domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. **Ci**tra hanc confessionem peccatum non condonatur. **R**ursum nō potest non cōdonari huic confessioni: nempe qua nos ipsos adcusamus & dānamus, deo gloriam ueritatis & iustitiæ tribuimus.

**A**lia confessio est, qua nos nō domi tantū apud nos, sed & coram alijs accusamus. Hæc quondā in **Ecclesia** talis erat. Qui criminis alicuius reus erat, primum priuatim à fratre quoquam, deinde coram ecclesia arguebatur, Atq; ibi condonabatur noxa

**DE** **PHILIP.** **MELANCH.**

resipiscenti. **R**ijciebatur ex ecclesia is qui ecclesiam non audiebat. **H**abes formam huius confessionis Matth. xvij. ubi usus clauium proditus est. **N**unc eius exemplum in ecclesia nullū est, cum ad cohercenda uitia non alia ratio cōmodior esset. **S**ed successit ei cēfessio sua, qua priuatim & seorsum apud singulos presbyteros res agitur. **E**t inter priscam illam confessionem & nostratem hoc interest, q̄ de publicis tantū & manifestis criminibus prisca agebatur, nostrate de secretis etiam agitur. **V**etustissimus mos fuit, accusari publica crimina coram uniuersa ecclesia, & totius ecclesie suffragijs absolui. **I**s mos iam olim abrogatus est, designatusq; unus aliquis ex numero presbyterorum, coram quo priuatim adcusabantur quāquā publica, crimina, is mulctam indicebat flagitiosis pro arbitrio coram Ecclesia, nēpe pro publicis criminibus. **N**ec ad Synaxim admittebātur, nisi qui pœna illa publica defuncti erant. **E**ius exemplum adhuc manet in publicis pœnitentijs nostrorum temporū, cum homicidæ in ecclesia plectuntur. **H**anc pœnitentiæ formam describit quisquis est tripartitæ, quā uocant, historie auctor, græcus ut adparet: **A**itq; **C**onstantinopoli antiquatā, durare adhuc in ecclesijs occi-

## **HYPOTYPOSES THEOLOG.**

dētalibus: estq; ea, cuius sæpe **Cyprianus** meminit. **Q**ui cum de publicorum criminum confessione loquitur, tamen indicat eam coram sacerdote potius, quàm uniuersa ecclesia factam. **R**equire si libet eius sermonem de lapsis. **V**erba græca historiae subiiciam: **V**isum est antiquis pōtificibus, ut uelut in theatro, sub testimonio **E**cclēsiastici populi delicta pandantur, & hac caussa presbyterum bonæ conuersationis, seruantemq; secreti, ac sapientem uirum designauerunt, ad quē adcedentes hi, qui deliquerant, delicta propria fatebātur: **A**t ille secundū uniuscuiusq; culpā, multam indicebat. **Q**uod etiam hætenus diligenter in occidentalibus seruatur ecclesijs, & maxime **R**omæ, ubi etiam locus est certus poenitentium, ubi stant rei, uelut ij qui lugeant. **P**orrò, ubi sacra celebratio impleta fuerit, illi communionem non percipientes, cum gemitu & lamentatione seipsos in terra prosternūt, **A**d quos adcurrentes **E**piscopus, & ipse cum lachrymis & gemitu spiritali procumbit, & totius **E**cclēsiæ plebs illachrymatur. **P**ostea primus omnium consurgit **E**piscopus, & iacētes erigit è terra. **T**um facta pro poenitentibus oratione, dimittit omnes. **I**nterim illi se macerant uarijs afflictionibus ex sentētia **E**pi

PER PHILIPP. MELANCH.

scopi, Synaxeos tempus, quod prescribit Episcopus, expectant. Quo tempore, uelut iam persoluto debito una Synaxi cum reliqua Ecclesia participant. Hæc Romani pontifices ad nostra usq; tempora obseruauerunt. Sed Constantinopoli tantisper presbyter poenitentibus presuit, dum mulier quædam primæ nobilitatis post confessionem, in Ecclesia poenitentiam agens, cum Diacono aliquoties concubuisset. Quod ubi palam factum est, aduersus presbyteros coorta plebs est, quod Ecclesiam uiolassent. Ibi Nectarius Episcopus Diaconum officio deiecit, et ueterem poenitentium morem antiquauit, nullo designato poenitentibus presbytero, permisitq; ut pro suæ quisq; conscientie iudicio, participaret mensæ domini, cum liberet. Hæc ferè ad uerbum historia tripartita.

Ex his colliges duplicem formam publicæ poenitentie fuisse quondam: Alteram primæ ecclesie, ubi coram uniuersa ecclesia res gesta est, et uel eieciti è communionem fidelium flagitiosi, qui resipere nolebant, uel absoluti qui resipiebant. Exemplum huius habes. I. Corinth. v. et ij. Corinth. ij. d. in cesso. Alteram, ubi poena publica est, confessio non item. Cuius exemplum hodie extat in homicidarum poe-

## HYPOTYPOSES. THEOLOG.

**P**oenitentia. Poena uero non debentur iure diuino, sed à traditionibus humanis profectae sunt, ut postea dicā. Et de hoc genere poenitentiae, ferè canones ueteres loquuntur, Quos ad priuatam detorquet in epte, fatui iuris pontificum professores.

### DE PRIVATIS CONFSSIONIBVS.

**P**raeter publicam poenitentiam, priuatae confessions sunt. Primum illae, cum priuatim reconciliamus eos quos offendimus. De quo genere dictum est Matth. V. Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te etc. uade recõciliare fratri tuo. Et Iacobi ult. Confitemini alter alteri peccata, id est, alter alterum deprecetur offensam etc.

**D**einde sunt Ecclesiasticae illae, quarum ferè usus hodie est. Eas quondam tales fuisse adparet, ut quorum conscientiae angebantur aliqua de re, sanctos et peritos rerum spiritualium consulere, et ab illis absoluerentur. Huius mentio facta est à Basilio, si titulus non fallit, in opere de institutis monachorum, quod à Rufino latinitate donatū putant. Et tot quidem genera confessionū mihi cõperta sunt, quae cum illa sint iure diuino tradita, alia hominū inuenta, prudenter discernenda sunt.